

*Pliny, Natural History VIII.1xi-1xiii*

Ex his quoque animalibus, quae nobiscum degunt, multa sunt cognitu digna, fidelissimumque ante omnia homini canis atque equus. Soli dominum novere et ignotum quoque, si repente veniat, intellegunt; soli nomina sua, soli vocem domesticam agnoscunt. Itinera quamvis longa meminere, nec ulli praeter hominem memoria maior. Impetus eorum et saevitia mitigatur ab homine consistente humi. Ergo etiam senecta fessos caecosque ac debiles sinu ferunt, ventos et odorem captantes protendentesque rostra ad cubilia. Gignunt caecos et, quo largiore aluntur lacte, eo tardiores visum accipiunt, non tamen unquam ultra XXI diem nec ante septimum. quidam tradunt, si unus gignatur, nono die cernere, si gemini, decimo itemque in singulos adici totidem tarditatis ad lucem dies, et ab ea quae sit femina ex primipara genita Faunos cerni. Optimus in fetu qui novissimus cernere incipit aut quem primum fert in cubile feta.